

# BACHOVIVS

AVGMENTATVS

*Id est*

C. L. V. REINHARDI BACHOVII ECHTII.

I. V. D.

NOTARVM  
ET ANIMADVERSIONVM

AD

DISPUTATIONES

HIERONYMI TREUTLERI I. C.

PARS POSTERIOR.

*Nunc demum.*

Confectarijs Additionibus ad Volum. Post. singulas disputationes ex jure  
theorico, practico, publico & militari, quæ tam à Treutlero quam  
Bachovio prætermiffæ fuerunt, adauctæ &  
locupletatæ.

*Opus omnibus tam in theoriâ quam in praxi versantibus  
utilissimum.*



*Don Accepta*  
*[Handwritten signature]*

*de [unclear]*  
*[unclear]*  
*est Colebrose*  
*Morgan*

COLONIÆ AGRIPPINÆ,  
APVD ANDREAM BINGIVM BIBLIOPOLAM

ANNO M. DC. LIII.

AD DISPUTAT. XVIII.  
DE NOVI OPERIS  
NUNTIATIONE.

*Respondente*

JOANNE GEORGIO Pfelffer.

THESIS PRIMA.

LIT. A. & B.

**R**oponit primo Tr. lit. a. causam efficientem, edictum prætoris, & ead. lit. rectè remover quæstionem de lectione & explicatione s. a. què *Inst. de action. de qua actum est. part. 1. disp. 17. th. 13. lit. b.* Deinde proponit definitionem, quod nuntiatio novi operis, sit prohibitio legitima, id est, jure concessa, cæterò quin arguari quis possit, quod prætoris edicta non sint leges: quæ tamen obiectio post edicta prætoris confirmata à Justin. minoris est momenti. Et dicitur legitima, quatenus in se consideratur: cæterum per injuriam quis nuntiare potest, ut tamen nuntiatio operetur effectum: quomodo & vocatio in ius actus legitimus est, quæ tamen per calumniam fieri potest. Est autem vel ideo hæc adiectio, *legitima*, necessaria, quoniam hunc effectum tribuit prætor nuntiationi factæ à privato, qui aliàs jus inter dicendi & prohibendi non habet.

*Illegitimè enim facta.* Ait ita factam non tenere: & quidem illegitimè vel ratione rei vel personæ, ut postea sit dicturus. Et tamen statim ead. lit. cum dixisset de effectu nuntiationis, subiicit, id ita verum esse, nisi constet: nuntianti nullum jus competere: quod utique ad personam pertinet: & poterat ead. ratione de nuntiatione illegitima respectu rei quid subiicere: quamvis illud saltem generale sit, & de personis, quæ nuntiare possunt, distinctius agatur th. 2. Videtur autem dupliciter hic notari posse Tr. r. quod in thesi ait, in nuntiatione considerari & personam & formam: & hæc lit. B. in exegesi, nuntiationem illegitimam dici ratione rei vel

personæ: res autem à forma nuntiandi, utiq; diversa est, ut apparet *ex d. th. 2. lit. E. & seqq.* & ad rem sive obiectum pertinere videtur quod lit. D. tractatur, de operis destinatione vel refectione: quod cum etiam in nuntiatione novi operis omnino veniat in considerationem, hoc quoque adiciendum, neque tantum duo, sed tria proponenda erunt, obiectum, persona & forma. Deinde videri possit non satis sibi convenire Treutler, dum ait illegitimè factam nuntiationem non tenere, & tamen, nihil interesse, jure an iniuria facta sit nuntiatio, & rursus, si non sit ius nuntiandi, impunè sperni nuntiationem. Equidem phrasis hæc, *nuntiationem non tenere*, ambigua est, de quo dicemus thes. 3. liter. E. ubi tractatur controversia inter Cuiac. & Robert. Cæterò quia distinguendum est inter casum notorium & dubium; vel potius inter ius nuntiandi quasi in abstracto, & causam nuntiationis in singulari. Quod transferri potest ad tria illa quæ requiri diximus: v. c. opus novum esse oportet, ut locus sit nuntiationi, & personam habentem esse oportet, & deniq; formam prætoris fieri oportet. Hæc si concurrant, obtinet quod dicitur *in l. 1. in principio, h. titul. in i. h. titulo.* eum qui contra nuntiationem ædificavit deltruere illud teneri, & si ius ædificandi habuerit: quoniam non ipse sibi ius dicere, sed cognitioni prætoris hoc permittere necesse habet: eoque respectu tenere dicitur nuntiatione per injuriam facta, quatenus postea ædificans apud prætorem iustitiam causæ suæ ostendit. Quod si vnum ex his tribus defecerit, nuntiationem, citra ullam remissionem impunè sperni rectè defenditur: veluti si non fuerit obser-